



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. V. Explicatur obiectum Attributionis Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

lud verò omitti, vel hoc omittendum, accipien-
dum illud. At hoc idem potest Logica docere de
apprehensione; dicit enim mihi, *quando cogitas
definire hominem, non apprehendas animal hinni-
bile, sed animal rationale.* vel (vt melius loquar,
ne mihi dicas hoc ad Physicum pertinere) Logi-
ca docet hoc modo: *quando vis definire aliquod
ens, debes apprehendere & predicatum genericum
& differentiale illius; non verò differentiale alte-
rius rei, & ex hac apprehensione perge ulterius ad
iudicium.*

- 37 Dices fortè, Corrègere apprehensiones in par-
ticulari, pertinet ad proprias scientias, non ad
Logicam. Sed contrà Primò, cur idem non di-
cit etiam de iudiciis? sicut enim ad Physicam v.
g. pertinet dicere, *ne apprehendas hominem ani-
mal hinnibile*, ita etiam, & multò magis pertine-
bit dicere, *ne iudices hominem esse animal hinni-
bile*; ergo eadem est de vtroque ratio. Contrà Se-
cundò: quia licet corrègere apprehensiones in
particulari, pertineat ad particulares scientias,
verum in communi hoc pertinet ad Logicam,
quæ quando dicit, *definitio constat genere & dif-
ferentiâ*, propriè non loquitur de iudicio, sed de
apprehensione, quæ se tenet ex parte prædicati,
& antequam iudicium proferatur de definito,
debet apprehendi benè, & idèd vniuersaliter do-
cet iuxta paulò antè dicta, *apprehendi debet &
predicatum commune & particulare.* Idem in di-
uisione, &c. Tandem nostra Conclusio proba-
tur, quia termini mentales, & orationes perti-
nent ad Logicam: atqui hæc sunt simplex ap-
prehensio, vt per se patet; ergo simplex ap-
prehensio est obiectum formale Logicae.

Ex his facilè constat solutio eorum quæ supra
obiecta sunt. Ad primum de phantasiâ, & sensi-
bus externis respondeo, eos non subiaccere im-
perio voluntatis, aut intellectus directioni, sed si
in se benè sint dispositi, accedente obiecto, ne-
cessariò operari, & semper eodem modo, siue
voluntas velit siue non. Neque est in potestate il-
lius, dicere, *videas semel multa actu confusa*, vel,
*coniungas talem & talem visionem, aut auditi-
onem*, &c. hoc autem in multis apprehensionibus
intellectus locum habet, vt ostensum est.

Ad secundum: constat iam, quomodo appre-
hensiones dirigi possint, & quidem ferè tam per-
fectè, quàm iudicia ipsa.

- 38 Ad tertium respondeo, apprehensionem non
considerari à Logico vt partem iudicij, sed vt
quid deferuens ad efficiendum iudicium. Et mi-
ror id ab his requiri: nam argumentatio proba-
bilis non consideratur vt pars demonstrationis, &
tamen consideratur per se à Logico in sententiâ
ipsorum: neque enim necessum est, vt duo ob-
iecta pertineant ad eandem scientiam, vnum
considerari tamquam partem alterius; sed suffi-
cit, si ordinetur vnum aliquo modo ad alterum
obiectum præcipuè intentum. Quomodo Theo-
logus consideraret peccata vt partem Dei, aut
virtutum? Constat ergo, apprehensionem per se
pertinere ad Logicam.

SECUNDA CONCLUSIO. Iudicium etiam ad Lo-
gicam pertinet. Hæc est certissima; constituit
enim iudicium formaliter definitionem & diui-
sionem: item est pars argumentationis; pertinet
ergo per se ad Logicam.

TERTIA CONCLUSIO. Idem etiam dicendum

est de argumentatione, & discursu. Imò Se-
ctione sequenti, ex præcipuis obiectis Logicae
esse argumentationem, ostendimus. De syllo-
gismo fallaci maior poterat esse difficultas, eò
quòd tantum abhæt modo sciendi, vt potius er-
rorem inducat. Nihilominus dicendum, eius
cognitionem ad Logicam pertinere: vt enim re-
cte Aristoteles, *contrariorum eadem est disciplina*,
& ad cognoscendum perfectè verum modum
sciendi, plurimum iuuat cognitio falsi, circa
quem facile possemus errare. sicut & Theologia 39
agit de vitiis & peccatis, tamquam de contrariis
virtutum quas per se considerat. Imò & experi-
entia docet, persapè vt quis euadat egregius
concionator v. g. non minùs interesse audire ma-
los, quàm bonos concionatores: illos, vt eorum
defectus & clariùs videat, & caueat faciliùs; hos,
vt imitetur. Sicut etiam cognitio mali deservit,
vt ab eo declinemus, & adhareamus bono, iux-
ta illud Isaie, *Butyrum & mel comeder, ut sciat
reprobare malum, & eligere bonum.* Tandem, cog-
nitio syllogismi probabilis etiam est Logica, &
quia conducit ad notitiam demonstratiui, & quia
communis modus sciendi humanus propter im-
perfectiorem sensum, à quorum actibus pen-
det intellectus, dum corporis carceribus animus
clauditur, rarè est per demonstrationem, sapè
per syllogismum probabilem. Licet autem &
hic, & à tortiori fallax, non sint scientia; tamen
de illis Logica scientificè agit: quia & eorum na-
turam, proprietates, causasque scientificè de-
monstrat, non secus ac de syllogismo euidenti,
quia & de asino, qui non est scientia, potest scien-
tificè disputari. Aliud enim est, obiectum cog-
nitionis esse scientiam, aliud, ipsam cognitionem
esse scientificam.

SECTIO V.

Explicatur obiectum attributionis Logicae.

DISPUTATIONE I. à num. I. I. obiectum attri- 40
butionis definitur esse id, ad cuius perfectam
notitiam, quasi ad finem vltimum aliorum obiecto-
rum, cognitio per se & ex naturâ suâ ordinatur.
Ergo vt obiectum attributionis Logicae cogno-
scamus, inquirendum nobis est, quid illud sit,
ad cuius notitiam cetera, de quibus Logica dis-
putat, ordinentur.

SUBSECTIO PRIMA.

Nova cuiusdam opinio, &c.

NEOTERICVS quidam quatuor assignat attri-
butionis obiecta in Logica: quod vt defen-
dat, nouam inuenit obiecti attributionis defini-
tionem, scilicet, *obiectum attributionis esse illud, in
cuius naturâ, proprietatibus, causis, effectibus, par-
tibus integrantibus, essentialibus, & subiectiuis cog-
noscendis tota insumitur scientia.* Vnde hic Auctor
ad obiectum attributionis solum requirit, vt om-
nes cognitiones scientiæ terminentur ad aliquid
quod possit dici pertinere quocumque modo
ad obiectum attributionis. Vnde cognitio causæ
habet pro obiecto attributionis cognitionem ef-
fectus,

fectus, & contrariio: causa enim est aliquid effectus, & effectus est aliquid cause. Theologia v. g. agit de Deo, de virtutibus, de Angelis, &c. Deus est obiectum attributionis totius Theologiæ, quia in totâ illâ agit vel de ipso Deo, vel de eius effectibus. Et licet cognitio creaturarum non deferretur ad perfectiorem notitiam Dei secundum se, adhuc Deus esset obiectum attributionis Theologiæ: quia dum in eâ agit de gloriâ, agit etiam aliquo modo de ipso Deo, quatenus agit de effectu Dei: & sic de aliis. Virtus autem non est obiectum attributionis Theologiæ: licet enim, quâ parte in Theologiâ agit de Deo, agatur de aliquo pertinente ad virtutes, (causa enim etiam pertinet ad effectum, estque aliquid illius:) verum quia virtus, de quibus etiam agit in Theologiâ, non sunt aliquid virtutis, idcirco virtus non est obiectum attributionis; Deus verò, quia ad eum omnia ordinantur, est illius obiectum.

41 Logica ergo, quia agit de propositionibus, de terminis, de definitione, de diuisione, argumentatione, syllogismo, Enthymemate, & demonstratione, in primis propositio erit obiectum attributionis totius Logicæ: quia dum agit de terminis, agit de partibus essentialibus propositionis; dum de definitione, diuisione & syllogismo, agit de inferioribus, seu speciebus propositionis; etiam cognitio syllogismi non ordinatur ad cognitionem propositionis, eò quod iam hæc supponitur cognita ante syllogismum. Præterea etiam ipsa propositio, & reliqua obiecta Logicæ, habent pro obiecto attributionis *argumentationem*: quia dum Logica agit de terminis, propositionibus, definitione, & diuisione, agit de partibus componentibus argumentationem; dum verò agit de Enthymemate, syllogismo probabili, fallaci, & euidenti, agit de speciebus Argumentationis vt sic. Deinde tertio, modus sciendi in communi est etiam obiectum attributionis Logicæ: quia dum agit de ceteris obiectis Logicæ, agit de speciebus modi sciendi vt sic. Denique quarto, actus intellectus vt præciscens ab apprehensione, iudicio, & discursu, est etiam obiectum attributionis Logicæ; quia dum agit de triplici operatione intellectus, agit de speciebus actus vt sic; dantur ergo de facto in Logicâ quatuor obiecta attributionis, & quæ inuicem sunt obiecta attributionis, propositio respectu argumentationis, modi sciendi vt sic, & actus vt sic, item argumentatio respectu propositionis, &c.

Aduerte Primò, huic Auctorem non velle defendere, mutuum ordinem obiecti attributionis inter illa quatuor provenire ex eo, quod ea inuicem inter se ordinantur ad sui perfectam cognitionem; hoc enim est prorsus impossibile, & impliciter, quod sic ostendo: Quia res quæ præcedit perfectè cognita, etsi possit ordinari ad cognitionem alterius secundi obiecti, nequit tamen ordinari ad cognitionem illius quod iam supponit perfectè cognitum: quia sicut implicat, duas causas esse inuicem causas, (sequeretur enim, esse priores & posteriores inter se, quod omnino repugnat, vt ostendam in Physicis) ita etiam repugnat, duas cognitiones inuicem ordinari, ita vt prima ordinetur ad secundam, & secunda ad primam. nam quæ ordinatur ad aliam, est prior illâ; ea verò ad quam ordinatur, est po-

sterior, & consequenter iam supponit habitam priorem, nec potest requiri ad eam priorem obtinendam, ergo nequeunt mutuo ordinari duæ cognitiones. Fateor, duo obiecta posse ordinari inuicem, respectu tamen diuersarum cognitionum, vt vnum imperfectè cognitum, ordinetur ad perfectam cognitionem alterius, & hoc rursus ordinetur ad cognitionem perfectam primi. si verò primum iam præcessisset perfectè cognitum, non posset secundum ordinari ad cognitionem primi. Ratio disparitatis est, quia cum respectu vnus obiecti possint esse plures cognitiones, alia perfectæ, alia imperfectæ, non repugnat vt idem obiectum præcedat cognitum per vnâ cognitionem, & secundum aliam subsequatur, quod tamen repugnat respectu eiusdem cognitionis; quia idem non potest esse prius & posterius respectu eiusdem: secus respectu diuersorum, sicut meus parens est prior me, posterior verò meo auo; at verò respectu mei esse prior & posterior non potest. Si ergo ad obiecti attributionis naturâ requireretur, vt ad ipsius perfectam cognitionem aliorum cognitio ordinaretur, repugnet obiectum, quod semel est attributionis, & consequenter eo ipso iam supponit, notitiam aliorum obiectorum eius scientiæ ulterius ordinari, tamquam ad obiectum attributionis, ad cognoscenda alia obiecta, vel aliquod ex iis quæ præsupponebantur iam cognita ante ipsum. Non ergo potest defendi prædicta recentiorum sententia de quatuor obiectis attributionis Logicæ, quæ inter se sunt obiecta attributionis ob mutuam ordinationem cognitionum eorum obiectorum.

Fundatur ergo prædicta sententia in eo, quod vt res aliqua sit obiectum attributionis, sufficit, si tota scientia infumatur in cognitione illius rei, vel alterius ad eam aliquo modo pertinentis: cum autem non repugnet vt propositio pertineat ad argumentationem vt pars illius, & ipsa argumentatio ad propositionem vt species illius, vel vt totum eam includens tamquam partem; non repugnat etiam, vt propositio sit obiectum attributionis respectu argumentationis, & hæc respectu propositionis, sicut etiam cognitio causæ potest habere pro obiecto attributionis effectum, quia causa aliquid est effectus. Item cognitio effectus potest habere pro obiecto attributionis causam, quia effectus aliquid est causæ, siue sit prior cognitio causæ cognitione effectus, siue posterior; hoc enim non attenditur in ordine ad obiectum attributionis.

Fateor, admissâ semel hac explicatione obiecti attributionis vt sic, rectè assignari ea quatuor obiecta attributionis in Logicâ: nam iuxta illam explicationem non repugnat duas vel plures res inuicem esse obiecta attributionis inter se in vnâ scientiâ. Impugnanda ergo est hæc sententia Primò, euertendo eam definitionem obiecti attributionis: Secundò, ostendendo, eâ admissâ, plura esse adhuc obiecta attributionis.

Et quidem Primò suppono, punctum hoc esse solum de nomine, de significatione scilicet vocis *obiectum attributionis*. vnde valdè miror, vocem iam antea acceptam in aliâ significatione, ita prohibita de nouo ab hoc Auctore in aliâ significatione vsurpari; & magis admior, quod cum ibi tot condiciones posuerit, scilicet in cuius partibus *subiectiuis, componentibus, integrantibus, causis, ef-*

fectibus, &c. non etiam dixerit obiectum attributionis illud esse, in cuius parentibus, fratribus, consanguineis, patriâ, amicis, inimicis, famulis, 45 bobus, alinis, &c. cognoscendis scientia occupatur: tam gratis enim illa prima definitio fingitur, quam hæc fingeretur; imò hoc modo mille alias definitiones possemus nobis, ridiculas quidem, sed tam bene fundatas quam ista sit, imaginari. Standum ergo in questione de nomine, communi & ab omnibus receptæ significationi huius vocis *obiectum attributionis*, scilicet pro eo obiecto, ad cuius perfectam & exactam notitiam omnes reliquæ cognitiones illius scientiæ ordinantur quasi ad finem extrinsecum, vel ex natura sua iuxta nostram sententiam, vel iuxta aliorum, ex intentione Philosophorum: quare omnes concedunt, ad indagandum obiectum attributionis, debere inquiri quod sit obiectum, in cuius cognitione quasi ultimò quiescat scientia, & ad quod cetera supponantur cognita. Ita antiqui & recentiores omnes, quos viderim, qui hoc nomen *obiectum attributionis* in scholas introducere ceperunt; ergo illo uti debemus in significatione, in qua acceptum est ab inventoribus. Et Conimbricenses, qui hac de re clariùs differuere, affirmant, obiectum attributionis debere ita esse unum, ut una definitione explicetur.

46 At si causa esset obiectum attributionis effectus, & è contrario effectus obiectum attributionis causa; ut volunt hi Auctores, non posset obiectum attributionis unicâ definitione explicari; quia causa & effectus, si sint diuersi, ut sæpè contingit, non possunt eadem definitione declarari. Vterius requirunt Conimbricenses, ut omnia de quibus agit scientia, referantur ad cognitionem obiecti attributionis, & hoc dicunt esse ex mente Philosophorum omnium; ergo obiectum attributionis non bene explicatur ab his recentioribus: ut enim supra ostendi, licet duæ res mutuam inter se habeant connexionem, tamen quoad perfectam sui cognitionem nequeunt mutuo ordinari, neque esse sibi mutuo finis ultimus; ergo nec possunt esse mutuo inter se obiecta attributionis, prout obiectum attributionis à Doctoribus explicatur.

Secundò impugnatur ea definitio, quia iuxta illam deberet etiam terminus assignari pro obiecto attributionis Logicæ, contra Auctorum, quibuscum disputamus, doctrinam. Probo sequelam: quia sicut scientia de effectu habet pro obiecto attributionis eius causam, eò quod effectus sit aliquid causæ; ita etiam deberet dici, cognitionem definitionis, diuisionis, & argumentationis habere pro obiecto attributionis terminos, quia hi sunt causæ intrinsecæ, id est, partes componentes definitionem, diuisionem, & argumentationem: totum autem non minus est 47 aliquid partium, quam è contrario partes sint aliquid totius, & quam effectus sit aliquid causæ; imò multo magis, quia effectus distinguitur à sua causâ, totum vero nequaquam à suis partibus. Ergo tam demonstratio, definitio, &c. sunt aliquid termini, quam effectus est aliquid causæ; ergo, sicut ob eam rationem cognitio effectus habet pro obiecto attributionis causam, & è contrario, ita etiam cognitio terminorum debet esse obiectum attributionis respectu definitionis, diuisionis, &c. erant ergo quinque obiecta attri-

butionis Logicæ. Imò in Metaphysicâ, (quo argumento postea etiam vsi sunt contra hanc sententiam nonnulli) nullum daretur obiectum quod non esset attributionis: hoc autem absurdum esse certo est certius; omnes enim supponunt, in qualibet scientiâ & dari obiecta attributa, & etiam obiecta attributionis distincta inter se. Id verò inferri, probatur apertè: quia Metaphysica habet pro obiecto adequato Deum, ens ut abstrahit à spirituali & materiali, item substantiam spirituales completam, accidentia & attributa eiusdem substantiæ; sed hæc omnia obiecta habent connexionem mutuum inter se causa & effectus, partis subiectiue & componentis; ergo omnia sunt inter se mutuo obiecta attributionis. Pater Minor, quia in primis Deus est causa omnium, unde eorum omnino cognitio habebit Deum pro obiecto attributionis. Deinde, ens in communi habet Deum & cetera entia, ut partes subiectiue, ergo ens in communi est obiectum attributionis Metaphysicæ. Vterius, Angelus respicit Deum ut causam sui, ens in communi ut partem, accidentia & passiones ut effectus; ergo & Angelus erit obiectum attributionis. Denique ipsa accidentia & passiones Angeli respiciunt Deum & Angelum ut causas sui, ens autem ut sic, ut partem componentem; ergo etiam sunt obiectum attributionis reliquorum; ergo omnia obiecta de quibus disputat Metaphysicus, dicenda sunt obiecta attributionis Metaphysicæ, si definitioni tradita ab his recentioribus standum est. Quod quàm sit absurdum, nemo non videt; ergo ea definitio, ut noua, & confundens obiecta attributionis cum attributis, reiicienda est, standumque communi acceptioni obiecti attributionis.

Eam rursus impugnat nonnemo; quia nec modus sciendi, nec argumentatio erunt obiectum attributionis, eò quod syllogismus fallax, de quo agit Logica, nihil est modi sciendi, nec pars, nec effectus, nec species, &c. Sed respondebunt aduersarij, esse aliquid illius, quia sunt contrarium illius. Verò, si hoc modo velint hi Auctores per Genitium illius explicare obiectum attributionis, nihil erit in toto mundo, cuius cetera non sint aliquid, vel concausa illius, vel effectus illius, vel concreatura illius; ridiculum autem est dicere, hoc ad obiectum attributionis sufficere.

Tertio impugnatur ea definitio, quia unitas 49 scientiæ secundum communem sententiam sumitur ab unitate obiecti attributionis; ergo in unicâ scientiâ non possunt plura obiecta attributionis assignari. Responder aduersarij, si una scientia dicitur, quia est unum obiectum ad quod cetera dicant ordinem, à fortiori scientia erit una. Hæc solutio omnino displicet; perinde enim est, ac si quis taliter argumentaretur, Idè constitui unum imperium Monarchicum, quia omnes homines subsunt uni Principi, & inde vellet inferre à fortiori, futurum unum imperium, si omnes dicerent ordinem ad multos Principes, ineptè argumentaretur, cum potius opposita consequentia deberet inferri. Ratio à priori est, quia idè constituitur unum Imperium, quia Princeps est vnus tantum. Vnde eo ipso quod Principes sint plures, necessum est imperium non esse Monarchicum, quia deficit ratio, quæ consti-

constituebatur in ratione talis, nempe unitas Principis, cum negatione multipliciter. Similiter etiam in tantum unum obiectum attributionis constituit unam scientiam & non plures, in quantum ipsum obiectum est unicum, non plura; ergo eo ipso quod plura obiecta attributionis ponantur, ponuntur etiam rationes requisitae ad multiplicandam scientiam.

50 Confirmatur ex doctrina à nobis supra tradita: quia unitas scientiae desumitur ex connexionne, quam dicunt omnes cognitiones inter se à prima usque ad ultimam, quae versatur circa obiectum attributionis; ergo eo ipso quod sint plura obiecta attributionis, ad quae cognitiones dicantur diversas connexiones, diversas etiam scientias assignare necessarium erit; nequeunt ergo in una scientia esse plura obiecta attributionis adaequata.

SUBSECTIO SECVNDA.

Nec modus sciendi in communi, nec omnes modi in particulari sunt obiectum attributionis Logicae.

NONNULLI assignant pro obiecto attributionis Logicae modum sciendi in communi, prout abstrahit à definitione, diuisione, & argumentatione: quia ut sic, vltimò intenditur à Logica, & ad illum ordinatur cognitio modi sciendi in particulari, sicut ad cognitionem animalis ut sic ordinatur cognitio hominis & leonis; & ad cognitionem entis in communi, ordinatur cognitio entium in particulari.

Hac sententia displicet Primò, quia ad cognitionem rationis communis non ordinatur cognitio rationum particularium, sed potius è contrario; ergo modus sciendi in communi potius est obiectum attributum ad modos sciendi in particulari, quam attributionis illorum. Consequenter est certa. Antecedens probatur; quia ad cognoscendum animal v. g. esse principium sentiendi, non est necessarium cognoscere rationale ut rationale formaliter, quia ut tale est extra rationem genericam. Idem est in aliis rationibus superioribus. Confirmatur & explicatur argumentum: quia tam perfectam cognitionem habere possum de animali in communi quatenus est principium sentiendi, etiam si non nouerim differentias reptilium, volatilium, aliorumque inferiorum animalium, quae sub genere animalis continentur, quam qui haec omnia inferiora perfectè nouerit; nam per differentias ut differentias formaliter, non potest cognosci perfectius ratio conueniendi inter se. Ratio à priori est, quia non potest cognosci totum, nisi cognoscantur perfectè eius partes, totum enim non differt ab illis; at verò una pars bene potest cognosci perfectè, etiam si non cognoscatur altera: atqui ratio communis est pars Metaphysica, species verò est totum, constans ex ratione communi & ex particulari; ergo bene potest cognosci ratio superior sic, ut non cognoscantur differentiae, è contrario verò non poterunt cognosci species particulares, quin cognoscantur rationes communes; ergo cognitio specierum non ita ordinatur ad cognitionem generis, quam è contrario; ergo modus sciendi in communi non potest

esse obiectum attributionis modi sciendi in particulari.

Confirmatur vltimò: genus ut genus, non dicitur in suo conceptu differentias, nisi summum confusissimè, ergo ad cognoscendum perfectè genus, non est necessaria explicita & distincta cognitio specierum in particulari. Probatur secundò eadem veritas, quia ante cognitionem speciei perfectam, debet praecedere cognitio perfectae generis, quod est pars illius speciei; licet ad cognoscendum perfectè totum hominem, praerequiratur cognitio perfecta corporis; ergo cognitio perfecta speciei nequit rursus ordinari ad perfectam cognitionem generis; quia, ut dixi numero praecedenti, ad aliquam rem cognoscendam nequit ordinari illa cognitio, quae necessariò praesupponit iam talem rem perfectè cognitam, sicut nequit ordinari ad faciendum ali-quod opus, id quod necessariò supponit tale opus iam perfectum & absolutum, ut ex terminis constat.

Nonnulli recentiores hanc rationem ut debilem respuunt; qui putant in Metaphysicâ ens ut sic esse obiectum attributionis, & ad illud cognoscendum ordinari cognitionem de Deo, & de Angelis, aliisque differentiis entis: aiunt enim, perfectius cognosci animal, si cognoscatur quibus differentiis possit contrahi, quam si illa prorsus ignorentur; ea enim capacitas, ut identificetur cum hac vel illâ differentiâ, est essentialis ipsi animali, quae nequit cognosci nisi cognitio differentiis in particulari. Verum hæc impugnatio omnino displicet, & quidem hi Auctores non tenent consequentiam; negant enim nobiscum, rationem genericam ex parte obiecti esse aliquam rationem abstractam ab indiuiduis, quæque ad illa possit contrahi (fortè enim in hac opinione vim haberent argumenta ipsorum) aiuntque, genus ex parte obiecti esse ipsamet species & eorum indiuidua, ut inter se confusa & cognita, ut omnino similia, de quo fusiùs infra. Iam autem hoc supposito, sic argumentor: Ea cognitio, quæ illa indiuidua inter se distinguo, & differentias ipsorum penetro, nullatenus potest deferuire ad ea confundenda inter se, & cognoscenda quasi essent unum, cum potius per eam cognitionem distinctam auferatur confusio requisita ad rationem generis; ergo in nostrâ sententiâ repugnat, ad rationem genericam ordinari cognitiones differentiales, quia ad confundenda ea indiuidua non ordinatur cognitio illa distinguens: non est autem in nostrâ sententiâ alia ratio generica, nisi ipsamet cognitio confusa. Fateor, si ex parte obiecti poneremus aliquam veram formalitatem abstractam, quæ esset genus, posset tunc dici ad cognitionem illius ordinari aliquo modo cognitionem differentiarum, ut eò melius cognosceretur ordo illi intrinsecus ad ea inferiora. Et fortè hi recentiores putarunt se iuxta hæc principia discurre. At in nostrâ sententiâ ratio generica nullum habet ex parte obiecti ordinem aut respectum ad differentias; est enim formalissimè ipsamet differentia: quo manet argumentis à ratione in contrarium factis satisfactum.

Ad illud è Metaphysicâ suo loco ostendam, 54 ens ut sic non esse eius obiectum attributionis, consequenter ad hanc doctrinam præsentem.

Confirmo & explico, retorquendo argumentum. Vt ego sciam, quid sit *existere a parte rei* (in quo conceptu consistit ratio entis vt sic) non me iuuat cognoscere quid sit esse materiale aut spirituale, quid sit esse honestum moraliter, quid malum, quid sit discurre, &c. hæc enim non iam ad cognoscendum *existere vt sic*, sed ad cognoscendas species illius deferuit, vt ex ipsis terminis patet. Stat ergo firmum semper argumentum *suprà* à nobis factum.

Dices, hoc argumento euinci, primam cognitionem perfectam generis esse independentem à cognitione perfectâ speciei, & consequenter non posse hanc ordinari ad illam; verum non probari, cognitionem speciei non posse ordinari ad secundam cognitionem generis: sicut, licet primus actus non possit oriri ab habitu, quia est causa illius; secundus tamen actus recte potest oriri ab habitu producto per primum. Sed contra, quia per te cognitio perfecta generis est independentis à cognitione speciei, demus ergo illam cognitionem repeti, vt potest, sine cognitione speciei, perfectò generis. bit habitum facilitantem ad illam rationem genericam; ergo cognitio speciei non potest deferuire ad cognitionem perfectam generis vilo modo. Patet consequentia, quia nec deferuit ad eam cognoscendam facilius (id enim præstatur per habitum productum ex primis illis cognitionibus); neque deferuit ad eam cognoscendam simpliciter, (vt & tu fateris) ergo ad nihil. Exemplum autem de habitu & actu non est è re, quia non possum elicere facilius actus sine habitu. Vnde non mirum, si concurrat ad secundum actum, non verò ad primum, quia secundum actum facilius elicio quàm primum: at etiam sine cognitione speciei possum esse facillimus ad cognitionem genericam, vt probatum est; ergo exemplum de habitu & actu non vrget.

Secundò impugno prædictam sententiam, quia finis præcipuus Logicæ est, tradere modum sciendi, quo alias scientias perfectè obtineamus: sed non obtinemus illas per modum sciendi vt sic, sed per modos sciendi in particulari, v. g. per definitionem, diuisionem, & argumentationem; ergo modus sciendi in communi non est finis vltimò intentus à Logicâ. Maior & consequentia sunt euidentes. Minor probatur: quia ego addisco alias scientias per modum sciendi realem, non per modum sciendi impossibilem: sed modus sciendi in communi non est realis, nec possibilis, ergo per illum non possum addiscere alias scientias. Confirmatur, quia nulla scientia versatur circa sua objecta, nisi definiendo, diuidendo & argumentando in particulari: modus autem sciendi vt sic, licet possit esse obiectum cognitum, non tamen potest esse actus, & medium ad cognoscendum formaliter per ipsum. Cuius ea est ratio, quia licet obiectum possit non esse aliquid reale, vel particulare; cognitio tamen de obiecto realis & particulatis debet esse; ergo licet Logica possit cognoscere modum sciendi vt sic, per illum tamen vt sic nequeunt alie scientiæ formaliter sua objecta cognoscere; ergo cum obiectum Logicæ præcipue intentum, sit *modus sciendi* quo reliquæ scientiæ sua objecta attingunt, non potest esse modus sciendi in communi, sed in particulari. An autem hoc argumentum & sequens fiant cōtra meam sententiam,

prout nonnulli recentiores contendunt, disquiram num. 59.

Tertio principaliter impugnatur ea sententia 56 ad hominem; quia ipsi admittunt, Logicam esse scientiam practicam, & vltimò ad rationem scientiæ practicæ requiri, vt eius obiectum attributionis sit operabile: sed modus sciendi in communi non est obiectum operabile, ergo vel naquit esse obiectum attributionis; vel si est, Logica erit speculatiua, & non practica: quorum vtrumque est contra aduersarios, quibuscum ago.

Quartò & vltimò refutatur ea sententia, quia si quis perfectè sciat definitionem, diuisionem, & argumentationem in particulari, habet perfectum modum sciendi, imò omnes modos sciendi possibiles; ergo eis cognitis non est, cur vltimò appetat modum sciendi vt sic, ergo cognitio modi sciendi in particulari, non ordinatur ad cognitionem modi sciendi in communi, vt ad obiectum attributionis.

Aliud argumentum adducit contra hanc sententiam nonnullus, quod scilicet sequeretur ex eâ, non tam modum sciendi vt sic, quàm propositionem vt sic esse obiectum attributionis; quia propositio est genus ad modum sciendi, sicut modus sciendi est genus ad definitionem, & diuisionem. Sed fortè respondebunt aduersarij, non quamcumque rationem communem, sed illam quæ pertinet propriè ad scientiam, esse obiectum Logicæ: propositionem autem vt sic, esse communem veræ & falsæ, idè ad Logicam non spectare vt obiectum attributionis; secus verò modum sciendi vt sic. Idè omisso hoc argumento, sufficiant quæ nos fecimus.

Alij Doctores propius veritatem attingentes, 57 omnes modos sciendi in particulari, definitionem scilicet, diuisionem, & argumentationem, assignarunt pro obiecto attributionis Logicæ. Quorum ratio est, quia Logica intendit præbere aliis scientiis instrumenta quibus cognoscant sua objecta, hæc autem tam sunt definitio quàm diuisio, quàm argumentatio, & è contratio; ergo omnia simul sunt obiecta attributionis Logicæ. Confirmatur, definitio propter se & diuisio propter se, & argumentatio propter se sunt maxime viles ad alias scientias; ergo eas omnes propter se intendit Logica tamquam obiectum attributionis.

Hi in primis non videntur locuti consequenter: ob eandem enim rationem (quo argumento postea alij frequenter hanc sententiam impugnant) possent assignare pro obiecto attributionis Logicæ propositionem, quia propositio etiam est instrumentum quo alie scientiæ cognoscunt sua objecta. Neque enim omnes cognitiones aliarum scientiarum, sunt definitio, diuisio, & argumentatio: nam ad Philosophiam pertinet cognitio risibilitatis hominis, & eius admirationis, quæ tamen cognitiones habentur per simplices propositiones. Idem est de aliis Philosophiæ & aliarum scientiarum cognitionibus, cum præcipue, etiam si definitio, diuisio, & argumentatio repugnarent, adhuc propositio esset per se appetibilis in horum sententiâ; esset enim cognitio, quæ vnum de aliis prædicaretur, ergo etiam propositio erit obiectum attributionis Logicæ. Quod enim sit minis perfectæ, quàm definitio, nihil impedit

impedit quòd minùs sit obiectum attributionis; nam etiam syllogismus probabilis est minùs perfectus quàm demonstratio, & tamen in sententiâ horum est obiectum parziale attributionis Logicae.

Secundò impugnatur ea sententia, quia sola demonstratio est obiectum attributionis Logicae, ergo non omnes modi sciendi in particulari. Consequentia est euidens: antecedens probò Subiectione sequenti.

SUBSECTIO TERTIA.

Sola demonstratio est obiectum attributionis Logicae.

Hanc sententiam, quam veriorē reputo, latè defendit Hurtadus Disputat. 1. Logicae sect. 7. & recentiores communiter. Et in primis, qui constituunt obiectum attributionis ex arbitrio Auctoris scientia, tenentur admittere eam sententiam: Aristoteles enim Logicae Auctor nullum aliud attributionis obiectum assignauit præter demonstrationem in Logica, vt & aduersarij fatentur. Deinde, qui dicunt omnes actus scientia ex naturâ suâ dicere ordinem inter se, idem etiam tenentur docere, vt iam probò. Quia (vt num. 51. ostendi) cognitio partis ordinatur ad cognitionem totius, non è contrario: sed termini, propositio, definitio, & diuisio, nec non & argumentatio, sunt partes ex quibus componitur demonstratio; ergo illa est obiectum attributionis, definitionis, diuisionis, &c. Consequentia est euidens. Maior probata suprâ. Minor verò negari à nemine potest, quia definitio & diuisio possunt esse præmissa vel conclusio in demonstratione, ergo sunt partes illius. Argumentatio verò est pars Metaphysica demonstrationis, quia est ratio generica illius. Sed antequam ulterius pergamus, fortè ex dictis à me suprâ sic

Obiicies Primò, Modus sciendi in communi nequit esse obiectum attributionis Logicae, eò quòd modus sciendi vt sic non potest fieri, sed demonstratio etiam vt sic non potest fieri, sed debet esse in indiuiduo & determinatè, ergo demonstratio vt sic non est obiectum attributionis Logicae. Concedo libenter consequentiam, si de ratione aliquâ abstractâ demonstrationis sit sermo; est ergo obiectum attributionis Logicae, omnes demonstrationes omnium scientiarum in particulari: quia verò Logica non explicat in particulari, quid quilibet demonstratio debeat habere (hoc enim ad proprias scientias spectat.) ideo aliquo modo dici potest habere pro obiecto demonstrationem vt sic, id est ipsam Logicam, licet particulares demonstrationes habeat pro obiecto, non tamen cognoscere earum differentiam inter se.

Sed vrgebis, Ergo etiam hoc modo posset Logica habere pro obiecto modum sciendi vt sic, id est, omnes modos sciendi, non considerando eorum differentiam in particulari, licet Logica sit scientia practica, & instrumenta præbeat aliis scientiis: malè ergo suprâ num. 56. hoc argumento impugnata est sententia, docens modum sciendi vt sic esse obiectum attributionis Logicae. Respondeo, differentiam esse manifestam Primò, quia si ea sententia intelligatur de modo

sciendi vt sic, abstracto ex parte obiecti, clarè constat illum non esse factibilem, (& fortè in hoc sensu loquuntur aduersarij) ego autem in præsentia pono pro obiecto attributionis omnes demonstrationes in particulari, quæ vt sic factibiles sunt. Si verò illi non ponant ex parte obiecti nisi omnes modos sciendi in communi, confusè tamen cognitos; adhuc etiam differentia à meâ sententiâ est manifesta. Quia per hoc, quòd ego sciam quid sit modus sciendi in communi, si non scio quid sit definitio vel diuisio in particulari, nihil potero efficere; non enim nosco rationem specificam quam debeo velle. At si nosco differentiam specificam demonstrationis, etiam si ignorem differentiam indiuidualem, possum tamen rectè dirigì ad demonstrationem in indiuiduo faciendam. Sic artificij non sufficit vt faciat cathedram, nouisse quid sit opus artificiosum in communi; si autem nouerit quomodo cathedra fiat, eam faciet, licet indiuiduationem illius non nouerit. Omnes ergo demonstrationes in ratione artificij Logici solo numero differunt. Ideò Logica satisfecit suæ obligationi, declarando essentiam demonstrationis, ad indiuiduationem verò in materiâ Physicâ aut Theologicâ determinat, non Logica, sed Theologia vel Physica. Si autem ignoraretur ratio definitionis, non posset vlla scientia ex solâ cognitione modi sciendi vt sic se determinare ad definiendum. Vide ergo quanta sit differentia quoad hoc inter modum sciendi vt sic, abstrahentem ab speciebus per se considerabilibus à Logica; & inter demonstrationem vt sic, abstrahentem solum ab indiuiduationibus, de quibus per se Logica non agit.

Obiicies secundò, cognitionem partis tunc ordinari ad cognitionem totius, quando partes sunt tales per se & ex naturâ suâ, quia tunc non possunt cognosci, nisi in ordine ad totum quod ex se respiciunt. at id non videtur necessarium in partibus accidentalibus, & quæ ex se sunt quoddam totum perfectum, vt patet in numeris: licet enim binarius & ternarius componant numerum millesimum, non tamen inde fit, eos solum considerari ab Arithmetica propter millesimum, & hunc solum esse obiectum attributionis Arithmeticae. Cum ergo definitio & diuisio per se sint entia completa, & solum sint partes demonstrationis per accidens, non est necesse, vt solum propter demonstrationem cognoscantur, sed erunt tamquam media, quæ simul habent & bonitatem honestam, quæ possunt propter se amari, & vtilem, quæ possunt amari propter aliud.

Hanc obiectionem retorli contra hos Auctores, & placuit postea aliis instantia: ipsi enim dicunt, cognitionem terminorum ordinari ad propositionem, & hanc rursus ad definitionem vt ad obiectum attributionis, quod etiam verum est in omni sententiâ, quâ parte docet, terminos non propter se, sed propter propositionem & alios modos sciendi considerari à Logica. Iam ergo sic arguuntur: Termini eodem modo sunt partes propositionis, quo definitio & diuisio sunt partes demonstrationis; & sicut per te definitio & diuisio secundum se sunt quoddam totum perfectum, ita etiam termini secundum se sunt entia completa, item & propositio. Ergo sicut hoc non obstante negas, & meritò, terminos & propositiones considerari propter se à Logica, ita etiam

iam negare debes, definitionem & diuisionem propter se à Logica intendi. Deinde impugno absolutè eam solutionem, quia definitio & diuisio non sunt partes omnino per accidens, sed per se ordinatae ad demonstrationem; quia essentia prius cognita ex sua naturâ intrinsecâ ducit in cognitionem passionis non ratione sui, sed ratione suae cognitionis; cognitio autem essentiae est per definitionem, ergo definitio medio discursu ex se est illatiua cognitionis de passione; ergo definitio ex se & naturâ suâ petit esse pars demonstrationis, quia idem est esse illatiuam conclusionis, & esse partem demonstrationis; hoc autem fusiùs ostendi supra Disputat. I. à num. 43. ubi ostendi definitionem esse illatiuam conclusionis, & constitutiuam demonstrationis, non secus ac ignis est productiuus caloris per suam essentiam. Fateor, definitiones, quas Deus & Angeli habent de rebus, non esse illatiuas conclusionis, nec constitutiuas discursus, at in nobis ita cognitio essentiae ducit in cognitionem passionis, ut id praestet per cognitionem distinctam quam infert, & consequenter per demonstrationem. Vnde sicut ex hoc capite definitio, quâ Deus cognoscit essentias, differt ab eâ quâ nos easdem definimus, ita etiam censeo futuram diuersam specie eam definitionem essentiae, quâ in nobis esset, casu quo impossibilis esset demonstratio, ab eâ quâ nunc est; quia hæc est illatiua conclusionis, illa verò non.

Et hinc manet satisfactum exemplo de numeris: quia numerus primus, verbi gratiâ, quantum est ex se, non petit numerum millesimum (neque enim vnus homo in ratione vnus esset diuersus ab eo qui nunc est, etiam si non essent possibiles mille aliae res, cum quibus componeret numerum millesimum) ergo illi numeri non dicunt connexionem essentiali cum subsequenti, tam enim essent duo, Petrus & Ioannes, etiam si non esset possibilis alius tertius, quàm modo sunt. Non ergo mirum, si cognitio binarij & ternarij numeri non ordinetur ad millesimum, ut ad obiectum attributionis, secus verò definitio, ut iam probatum est. Ad aliam confirmationem de medio, quod propter se & propter aliud potest amari, etiam facillè respondeo, verum quidem esse, me sæpè posse cogitare de definitione, quatenus explicat naturam rei, etiam si non cogitem tunc, an possit ordinari ad demonstrationem, sicut potest actu amari medium, quod in se est etiam honestum vel delectabile, licet non ametur finis actu: nego tamen, propter ea non ordinari eam cognitionem ad demonstrationem. licet enim ego eam tunc non ordinem, quando tamen postea volo demonstrationem facere, eâ cognitione iuuor, quia per se est illatiua conclusionis, etiam si actu non inferat, sicut ignis etiam, quando non calefacit, est calefactiuus.

63 Quod de definitione dixi, dictum puta de diuisione, quæ non differt à definitione: & licet diuisio rationis communis differat ab eius definitione, quia tamen eam diximus esse definitionem specierum, ideo etiam ordinabitur ad cognitionem proprietatum specierum medio discursu, ut probatum est.

Respondebis, hoc argumento solum probari, definitionem & diuisionem dicere ordinem ad argumentationem, non verò dicere ad demonstrationem, præcipuè cum syllogismus probabi-

lis per se sit dignus scitu, imò de facto sapius eo utamur quàm demonstratione, vel propter tenuitatem ingenij, vel propter dependentiam à sensibus; ergo non minus ille, quàm demonstratio, erit obiectum attributionis Logicae. Respondeo, in primis argumentationem ut sic non posse esse obiectum attributionis; quia (ut Sectione præcedenti ostendi) ratio superior ut talis ordinatur ad inferiora. Deinde nec syllogismus fallacem, quia non est modus sciendi; imò de illo diximus disputare Logicam, ut de contrario modi sciendi: sed neque syllogismus probabilem ob eandem rationem posse esse obiectum attributionis, quia non est modus sciendi. Licet autem communius eo utamur quàm demonstratione, id tamen ex imperfectione provenit; non quia intellectus noster de se non semper conetur ad demonstrationem tanquam ad finem vltimum, etiam si quando eam non possit obtinere; sicut contingit in causis naturalibus, quæ de se semper conantur producere res perfectas, etiam si aliquando ob impedimenta occurrentia nequeant eas producere, & earum loco producant vel monstra, vel aliam rem minus perfectam.

Sed adhuc urgebis: Syllogismus probabilis non est pars demonstrationis, nec cognitio illius videtur necessariò habere connexionem cum demonstratione; ergo non ordinatur ex se & ex naturâ suâ ad demonstrationem, ergo hæc non est obiectum attributionis omnium eorum quæ in Logica tractantur. Respondeo, cognitionem illius ordinari ad demonstrationem, ad modum quo cognitio vnus contrarij ordinatur ad cognitionem alterius, & cognitio syllogismi fallacis, in sententiâ etiam aduersariorum, ordinatur ad cognitionem veri: licet ergo syllogismus probabilis non sit contrarius demonstrationi, quia tamen aliquo modo illi opponitur, & potest homo in eo errare, faciendo probabilem, dum deberet facere euentem, ideo oportuit ut de probabili etiam differeret Logica, eo fine, ut sciret meliùs intellectus, quomodo possit demonstrationem facere.

Secundò principaliter probatur nostra sententia, quia finis vltimus Logicae est tradere modum sciendi, sed hic propriè est sola demonstratio, ergo, &c. Probo Minorem. Scire, est cognoscere rem per causas, & quod illius est causa: hoc autem non fit neque per definitionem, nec per diuisionem, sed per demonstrationem, quæ est cognitio rei per suas causas, vel à posteriori per effectus; ergo sola demonstratio propriè est modus sciendi. Confirmo. Proprius modus sciendi hominis, ut distinguitur ab Angelo & Deo, est per discursum: sed Logica intendit modum sciendi proprium hominis, ergo & discursum. At inter discursus, solus demonstratiuus est scientia, ergo Logica primariò intendit demonstrationem. Et hinc colliges, etiam si definitio secundum se esset nobilior modus sciendi, quia tamen non est proprius hominis, eam non futuram obiectum attributionis Logicae: sed neque esse nobiliorem demonstratione constat, quia hæc includit definitionem, & addit aliquid supra illam, scilicet conclusionem illatam, ergo est perfectior quàm sola definitio.

Probo Teriò meam sententiam, quia in vni-

ea demonstratione exercet intellectus omnes tres operationes, apprehensionem, iudicium, discursum; ergo sola demonstratio est quæ adæquat actiuitatem intellectus, ergo illa sola est ultimus illius finis. Probo antecedens, quia in primis ad eam debet præcedere apprehensio, sicut ad omne iudicium: deinde, in ea datur iudicium & assensus circa præmissas, & præterea discursus circa conclusionem, ergo includit omnes tres intellectus operationes, ergo in illa satiatur & expletur capacitas nostri intellectus, ergo est eius ultimus finis. Deinde, obiectum ipsius per solam demonstrationem perfectè cognoscitur, quia per eam solam cognoscitur obiectum in se eius proprietatis & causæ; ergo sola demonstratio est obiectum attributionis Logicæ, vt pote quæ sola est perfectè cognitio obiecti.

Obiectis, Deus perfectius cognoscit obiecta, quam nos: sed Deus cognoscit per definitionem, ergo definitio est perfectior modus cognoscendi quam demonstratio. Respondeo, Dei definitionem attingere res in se, & simul in ipsis attingere earum causas & proprietates per cognitionem, quæ posset dici virtualis discursus, nostram verò definitionem non posse id se solâ præstare, vnde eget noster intellectus demonstratione, vt perfectè obiectum cognoscat, & consequenter in nobis perfectior modus cognoscendi est per demonstrationem, quam per definitionem.

66 Rogabis, quâ ratione Enthymema ad demonstrationem reducat. Respondeo, in mente non esse Enthymema, vt diximus in Summis, & amplius ostendat in libris de Prioribus & posterioribus.

Vtenuis rogabis, quâ ratione argumentatio ordinatur ad demonstrationem, eum non differant inter se, nisi solum ex parte materiæ, non verò ex parte artificij Logici; Logica autem non agit de materiâ, sed de formâ syllogismorum. Responderi potest Primò, Logicam agere de materiâ demonstrationis vt distinctâ à materiâ syllogismi probabili, licet in ipsis demonstrationibus non agit in speciali de materiâ demonstrationis Philosophicæ & Theologicæ. Respondeo Secundò & melius, demonstrationem non differre à syllogismo probabili ex parte materiæ, id est ex parte rerum, nam de eadem re potest haberi & demonstratio & syllogismus probabilis; differunt ergo ex parte propositionum, quibus constat, & scilicet in ipsâ illatione conclusionis: Logica autem, licet non agit de rebus ipsis proximè (vt suprâ dixi) agit tamen de propositionibus ipsis, & de differentiâ inter eundem & probabilem, vnde differentiâ demonstrationis à syllogismo probabili per se spectat ad Logicam, quod ab omnibus concedi debet, siue dicatur demonstratio obiectum attributionis Logicæ, siue non. Alia argumenta, & pro nostra sententiâ contra illam omitto, quia facile ex dictis solvantur, nec sunt prædictis efficaciora: ea vide apud Hurtadum suprâ fusiùs solito hac de re disputantem.

SECTIO VI.

An obiectum Logicæ differat ab obiecto aliarum scientiarum.

DIFFICULTAS hæc sub alio titulo agitata foret, an scilicet Logica ab aliis scientiis distinguatur. Verum quia hæc distinctio ex obiecti distinctione communiter censetur provenire, idè eam oportet explicare hic vbi de obiecto Logicæ disquirimus. Pro cuius intelligentiâ suppono, modum sciendi, prout est obiectum Logicæ, non dicere entitatem aliquam realem, aut modalem superadditam ipsorum actuum substantiæ, ab eisque separabilem, vt nonnulli male docuerunt. Quod probo, quia definitionem v. g. (idem est de diuisione) esse modum sciendi, nihil aliud est, quam esse cognitionem expressam rei repræsentantem, rationem communem, & differentialem: sed repræsentare has rationes, est ipsa essentia actus, qui est definitio; ergo modus sciendi vt talis, non dicit modum accidentalem essentiæ ipsorum actuum superadditum. Consequentia est euident. Maior certissima: nam quid est aliud definire, quam cognoscere rem per genus & differentiam? Minor verò, scilicet, eam repræsentationem esse ipsam actuum substantiam, inde constat, quia actui non accidit esse cognitionem sui obiecti (vt vniuersa Philosophia docet) imò nihil magis actibus essentiale, quam esse sui obiecti repræsentationem.

Confirmatur: eo ipso quod ponamus actum illum, qui est definitio, & per possibile vel impossibile auferamus ab eo omnem modum superadditum, actus ille repræsentabit rationem genericam & specificam; ergo erit definitio, ergo superfluous est modus superadditus. Imò, licet demus, de facto, resultare eum modum, adhuc in priori naturâ, in quo intelligitur actus illum præcedens, debet concipi actus vt repræsentans genus & differentiam, quia non potest intelligi cum aliâ essentiâ; ergo pro illo priori iam eum concipimus vt definitionem, quia concipimus eum repræsentantem genus & differentiam, ergo, etiam si resisteret talis modus accidentalis, adhuc per illum non constitueretur definitio in esse definitionis, ergo neque in ratione modi sciendi, ergo neque in ratione obiecti Logicæ.

De diuisione probatur eodem modo. Nam diuisionem esse modum sciendi, nihil est aliud, quam repræsentare rem explicando partes eius, vel componentes, vel subiectiuas: sed hoc totum est essentiale actui, ergo & esse modum sciendi. Minor debet probari eodem modo quo de definitione, tum quia non distinguitur à definitione (vt dixi) tum quia, licet distinguatur, tam essentiale est diuisioni diuidere partes totius, quam definitioni eas coadunare: non enim aliter diuidit, nisi cognoscendo vt distincta ea membra, cognitio autem est essentia ipsa actus ipsius.

Aduerte, nonnullos voluisse, definitionem esse compositam ex tribus vel quatuor apprehensionibus, aliâ terminatâ confusè ad subiectum, v. g. ad hominem, aliâ ad copulam, aliâ ad genus, vltimâ ad differentiam; & idem dicunt de diuisione,